do, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.

In cujus verissimæ doctrinæ comprobationem, ultra prædictos Auctores, & ea quæ generaliter de jure primæ inventionis, & occupationis suprà
87 retulimus, † expendi potest magis specialiter reg. tex. *in d.* §. *feræ, inst. de rer. divis. ubi* Balduin. quærit, an eadem semper manserit libertas occupandi loca deserta, & inculta, cujusmodi
88 passim multa sunt? & subdit: † *Et ego quidem crediderim, & adhuc esse debere industriæ præmia, ut fiant occupantis, & excolentis, idque Reipub. utilius est.*

Quibus adstipulatur, quod notanter insinuat Bartol. *in l. rem quæ nobis, num.* 4. *ff. de acquir. poss. & in l. si duo, in fine princ. ff. uti possid.* ni-
89 mirum, fundos, † qui numquam apparent fuisse culti, præsumi debere, in nullius bonis fuisse, & sic primò occupanti concedi. Quam doctrinam sequitur Jas. ibidem *n.* 32. Bald. *in rub. de præscript. col.* 3. & ejus auctoritate motus tenuit magis notabiliter Aretin. *in l.* 1. *in princip.* 2. *no-*
90 *tab. ff. de acq. poss.* Quod † etiam si res immobiles sint intra territorium, vel districtum alicujus civitatis, vel Regni, si tamen non extat memoria, quòd prædicta bona fuerint per aliquem culta, & occupata, non dicentur esse populi, vel Principis, sed potius in nullius bonis esse judicabuntur & sic primo occupanti concedentur. Atque ita dicit se consuluisse in causa Episcopi Mantuani, & de hac doctrina multum gloriatur, *in d. l. rem, quæ nobis, & in cons.* 15. *incip. Reverendis. Domine* Quæ tamen in specie ab eo proposita, & generaliter accepta, falsa quidem videtur, & ideò semper in praxi damnatur ut resolvunt Paul. Castrens. & Bart. Socin. *in d. l.* 1. *ex num.* 17. idem Castrens. *cons.* 259. in causa quæ vertitur, idem Socin. *cons.* 89. *& cons.* 12. Quia
91 † ex antiqua possessione, vel concessione territorii, vel castri, quidquid intra illius fines includitur, ad Principem, vel urbem, cujus est castrum, pertinere videtur, ut colligitur *ex l. æde sacra*, §. *fin. ff. de contrahend. empt.* Joan. Fab. *in l. cunctos populos, C. de sacros. Eccles.* Bald. *in rub. C. de contrah. empt. vers.* 22. *quæro*, Corneo *cons.* 247. *vol.* 2. Oldrad. *cons.* 121. Chassan. *in consuetud. Burg. rub.* 9. §. 4. Gregor. Lop. *in l.* 7. *tit.* 20. *par.* 3. Avendañ. *de exequend. mand.* 1. *p. cap.* 4. *num.* 4. *&* 5. Bobadill. *in Polit. l.* 2. *cap.* 16. *num.* 52. *&* 53. & latissimè Mieres de majorat. 4. *p. q.* 20. *ex num.* 48. ubi practicabi-
92 liter docent, quòd † si civitas, aut villa, vel dominus vassallorum non habet territorium specialiter designatum, omnes terræ, sive sint herbidæ & incultæ, sive montuosæ ad Regem in dubio spectabunt, quas Hispano vocabulo, *Realen-*
93 *gas* nominare solemus: & in eis Reges † suam intentionem fundatam habere videntur. Quod &
94 † apud antiquos obtinuisse non malè conjicere possumus ex Herodiano in vita Imp. Ælii Pertinacis, ubi refert, eam quidquid in Italia, aut usquam gentium inculti soli esset, permisisse occupantibus, colentibusque donata singulari beneficio immunitate decem annorum. Et ex Ap-
95 pian. Alexand. *lib.* 1. dum scribit, † decimam partem fructuum Reipub. solitam pendi pro vectigali eorum agrorum, qui deserti ad culturam redigerentur.

Planè † si hujusmodi terras à Regibus, civi- 96
tatibus vel aliis inferioribus dominis omninò derelictas fuisse, probari posset; tunc absque dubio dicendum esset, liberè & securè occupanti- 97
bus cedere. Qui enim res suas † deserit, aut pro derelicto habet, donare videtur, ideoque conti- 98
nuò occupantium fiunt, *l.* 1. *ff. pro derelicti.* eisdem quippe † modis nostræ esse desinunt, qui-
bus adquiruntur, *l.* 2. *&* 9. §. *hoc amplius, l. quæcumque*, §. *ult. ff. de adquir. rer. dom.* §. *pen. & ult. inst. de rer. divis. l. quemadmodum*, §. 1. *ff. de noxal. act. l. quod servus*, ubi Bartol. *ff. de stipul. servor. l.* 36. *tit.* 5. *pag.* 1. *l.* 49. *tit.* 28. *p.* 3. ubi Gregor. Lop. *& in l.* 26. *tit.* 31. *p.* 3. *verb. Poblasen*: Rip. *in d. l. rem quæ novis, num.* 37. Aymo. Parmens. *in tract. de jure alluvion. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 9. Petr. Greg. *lib.* 20. *Syntagm. cap.* 2. *num.* 3. Petr. Gilkenius *in tract. de præscript.* 2. *part. memb.* 2. *cap.* 20. Calistus Remir. *de lege Regia*, §. 26. *num.* 55. Borrell. *de Magistr. lib.* 4. *c.* 12. Avendan. *d. c.* 4. *num.* 7. *vers. Hodiè verò.* Ubi resolvit † in multis Castel- 99
læ partibus vigere consuetudinem, quòd primò occupans terras, quas desertas, incultas, sive, ut dicunt, *herbidas* invenit, sibi eas in perpetuum acquirat.

Eamque † consuetudinem si immemorialis sit, 100
servandam esse affirmant plurimi Auctores, quos refert Aymon. Cravet. *in tract. de antiq. temp.* 4. *p. num* 148. Covar. *in regul. possessor. de regul. jur. in* 6. 2. *p.* §. 3. *num.* 7. Guid. Pap. & ejus additionator, *decis.* 408. Burgos de Paz *cons.* 15. *num.* 12. *cum sequent.* Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 279. *n.* 11. & Mieres *d.* 4. *part. quæst.* 20. *num.* 52. *in ultima impresione.* Et esse faciliorem † alienationem, & acquisitionem hu- 101
jusmodi locorum, quàm aliorum, tradit Felin. *in c. ad audientiam, de præscr.* & Mandel. *cons.* 62. *n.* 33. *lib.* 1.

Eadem quoque ratione subsistit, † quod de 102
agris desertis habetur *in l. quicumque* 7. *leg. jura* 14. *C. de omn. agro deserto*, dum statuunt, novis † possessoribus, & cultoribus post biennii 103
lapsum perpetuo, ac privato jure applicandos esse, velut si essent domestica & avita successione quæsiti, ubi Bartol. Joan. de Platea, Jacob. Rebuff. & alii, & Ant. Cors. *in sing. verb. Occupatio*, meritò notant, in eorum jurium specie † non 104
incidere occupantem in pœnam *l. si quis in tantam, & leg. cum quærebatur, C. unde vi*, cum à prioribus dominis derelicta, & quoad possessionem, & dominium amissa, impunè ab aliis occupari potuerint. † Et quia agriculturæ favor, & 105
tributorum, quæ ex illis prædiis solvenda erant Principi, vel Reipublicæ, suadebat, ne ea vacantia, & inculta relinquerentur.

Quapropter † & illud inductum fuit, ut etiam 106
cum mala fide, aut saltem cum scientia novi cultoris, qui alienum prædium occupavit, retentio, & præscriptio illius per spatium bienii concedatur, etsi admonitio veteris possessoris præcesserit, sex tantùm menses habet ad repetendum agrum, quem incultum dimiserat. Ut habetur *in d. l. locorum*, & in aliis *suprà* citatis, circa quas † ultra Doctores ibidem, ita notanter signavit 107
Bart.

Bart. *in l. Celsus, ff. de usucap.* Felin. & Doct. per text. ibi *in c.* 1. *de præscr. & in rub. eadem col.* 4. *vers. Non fallit*: Jas. *num.* 33. Rip. *c.* 37. *in d. l. rem quæ nobis*; idem Rip. *in tract. de peste, n.* 20. *col.* 2. idem Jas. *in* §. *omnium, n.* 72. *inst. de action.* Balb. *in tract. de præscript. f.* 231. *col.* 2. Montalv. *in lib.* 1. *tit.* 11. *lib.* 2. *fori, & in l.* 9. *tit.* 29. *p.* 3. Greg. Lop. *in d. l.* 49. *tit.* 28. *p.* 3. Covar. *Reg. possessor.* 2. *part.* §. 11. *n.* 8. Cujac. *de divers. præscript. c.* 18. *&* 21. & Petr. Gilken. *d. tract. de præscript.* 2. *part. memb.* 2. *cap.* 2. *num.* 7.

108 Et hoc modo † ac sensu acceptus hic titulus inventionis & occupationis, de quo sermonem inivimus, satis quidem securus & legitimus esse videtur. Neque ei officiunt levia quædam & communia argumenta, quæ opponit Incognitus *in libro* Maris liberi, *cap.* 5. quibus aliter etiam respondet Seraph. Freit. *de Imp. Asiat. c.* 3. 10. *&* 11. quem Lector adire, & cum his nostris scriptis componere facile poterit.

CAPUT VII.

De quarto titulo, qui ex barbaris, & incultis Indorum moribus ab aliquibus sumitur, ob id justè debellari & subjugari potuisse censentibus: Pro quorum opinione plurima latè, & novè considerantur.

SUMMARIUM.

1 *Barbariem & feritatem Indorum justum titulum præbere, videri, ut bello domari, & suis imperiis privari possint.*
2 *Auctores citantur, qui hunc titulum barbarismi, & feritatis Indorum probare videntur.*
3 Barbarus *nomen variat habet significationes.*
4 *Barbaria provincia, quæ hodiè dicitur* Berberia, *undè sic dicta*, remissivè.
5 *Barbari propriè dicuntur, qui ingenio nimis obtuso & fero sunt, & à naturalis rationis regulis deviant.*
6 Barbarus *nominis etymologia.*
7 *Barbari ut bruta furioso impetu ducuntur ad ea, quæ appetunt.*
8 *Ferarum nomen cur impositum sit brutis animantibus.*
9 *Bruta animalia nihil habent rationis, aut prudentiæ, ut falsò quidam existimarunt.*
10 *Rever. P. M. Fr. Anton. Pereciur Benedictinus laudatur.*
11 *Bruta an loqui possint, vel humanum sermonem intelligere*, remissivè.
12 *Brutis propriè non dicitur inferri vis, aut injuria.*
13 *Barbari, & impoliti homines brutis æquiparantur, & sub eorum appellatione in scriptura, & aliis Auctoribus designantur.*
14 *Saracenos* bestias *appellavit Oldrad.*
15 *Alphonsus Aragoniæ Rex barbaros* non homines, *sed* homones *cum Ennio appellabat.*
16 *Homines non ex solo adspectu, aut forma, sed ex ratione prius judicandi sunt, quæ eos Deo similes, & aliorum animalium dominos reddit.*
17 *Homo dicitur* parvus mundus, *quia de natura omnium creaturarum mundi participat, & quomodo.*
18 *Auctores plures congeruntur, qui de natura, & diffinitione hominis agunt.*
19 Lex in pecudum, ff. de usur. lex justissime, de ædil. edict. & §. in pecudum, inst. de rer. divis. exornantur, & num. 55. *Blasius Robles de Salcedo citatur, & laudatur*, ibidem.
20 *Natura varias quotidiè formas edere conatur.*
21 *Monstra plura, humanam effigiem referentia reperta sunt, tum terrestria, tum marina, & aerea, & qui de eis agant.*
22 *Ciceronis locus expenditur, ubi hominum, & belluarum discrimen eleganter proponit.*
23 *Homines barbari, & indocti appellatione* hominum *digni non videntur, & lignis ac lapidibus comparantur*, & num. 25.
24 *Pœna tolerabilior est, vivere non posse, quam scire.*
25 *Insipiens homo plus quam bellua intelligendus.*
26 *Boetii carmina referuntur, in quibus hominum, & belluarum discrimen apponit.*
27 *Indi Occidentales, ut plurimum barbari, sylvestres, & bellis ferè similes erant.*
28 *Indorum Occidentalium barbaries, feritas, & rusticitas testimoniis plurimorum auctorum comprobatur.*
29 *Josephi Acostæ de Indorum Occidentalium ruditate, & feritate judicium.*
30 *Ludovicus Legionensis graviter exprimit feritatem, barbariem, & incultos mores Indorum Occidentalium.*
31 *Joannes Boterus plura de Indorum Occidentalium barbarie, & incapacitate recenset.*
32 *Indi aliqui reperti sunt, qui ultra quinque numerare nesciebant.*
33 *Thom. Bocius Eugubin. Indorum Occidentalium barbariem, & incultos, ac ferinos mores sæpissimè exaggerat.*
34 *Indos omnes Occidentales barbaros, squalidos, & abjectissimos esse scribit Fr. Gregor. Garcia Dominican.*
35 *Anton. Herrera multa passim prodit de barbarie & feritate Indorum Occidentalium.*
36 *Indi insulæ Hispaniolæ & Cubæ, & alii, ob ruditatem & memoriæ defectum nihil, aut parùm in disciplina Christiana proficiebant.*
37 *Indi plures in montibus, & speluncis se abdebant, nè ad Christi doctrinam suaderentur.*
38 *Indos olim nonnullos eros homines non esse, nec Fidei Christianæ capaces, sibi persuaserunt.*
39 *Indorum eximiam & insuperabilem barbariem, ac feritatem, & alia plurima animi, & corporis vitia coram Imper. Carol. V. Episcopus Darienses Fr. Thom. Orticius, & alii vehementer exaggerarunt.*
40 *Indi barbas sibi expilabant, corpora pingebant, ægrotos deserebant, & ab humanis & politicis moribus abhorrebant.*
41 *Caribes, Canibales, & Chichimeci & Chontales omnium feristimi, & barbaristimi sunt.*
42 *Indi navigia Hispanorum valdè mirati sunt.*
43 *Equos, & Hispanos eis insidentes Indi unum corpus esse putarunt, & qualiter hunc errorem agnoverint.*
44 *Bombardæ, & scopeti magno terrori Indis fuerunt.*
45 *Indorum de literis, & scriptura Hispanorum admiratio, & judicium.*
46 *Hispanos saltantes Indi vehementer mirabantur.*
47 *Indorum simplicitas, & barbaries multum aliquando Hispanis profuit.*
48 *Eclipsis Lunaris observatione qualiter Indos deluserit Columbus.*
49 *Hispani ab Indis immortales habiti, & Solis filii reputati sunt.*
50 *Hispani cur ab Indis Peruanis dicti fuerint* Viracochæ.
51 *Barbaries, & feritas antiqua Indorum Occidentalium cujusdam Poetæ carminibus explicatur.*
52 *Barbari homines, ex sententia Aristot. & aliorum, servi sunt, & ad serviendum nati & cogi possunt, ut prudentioribus pareant.*
53 *Venatoriam belliceæ artis partem concedit Calcagninus adversus barbaros, qui feros mores deponere nolunt.*
54 *Aristotelis doctrinam, Barbaros natura servos esse, tradentis, plurimi Auctores explicant, qui recensentur.*
55 *Homo ob excellentiam mentis, & rationis cæterorum animalium dominus à Deo constitutus fuit.*
56 *Stulti & barbari sapientioribus, & politioribus subjici debent.*

57 *Servitutem nasci in manu imprudentis, quæ sensu dicatur*, Proverb. 1. & 26.
58 *Sapientes solos vera libertate gaudere, & insipientes eorum servos esse, graviter ostendit D. Ambros.*
59 *Cham cur effectus fuerit servus fratrum suorum.*
60 *Jacob sapientiæ meritò prælatus fuit fratri seniori.*
61 *Esau idem significat, quod ignorans.*
62 *Intripientiam deteriorem servitute esse, quibus rationibus probet D. Ambros.*
63 *Populis semper præficiendi sunt, Rectores sapientes, & quare.*
64 *Bella licita dicuntur ea, per quæ victis consulitur & pietatis, ac justitiæ observatio procuratur.*
65 *Improbis, & barbaris hominibus melius, & utilius est servire, quàm dominari, ex D. August.*
66 *Indorum barbarie, & feritate suppositis justum, & ipsis valdè utile fuit Hispanorum imperio gubernari*, & num. 79.
67 *Indi, qui nunc sunt, fortunatiores antiquis dici possunt.*
68 *Barbari ab Alexand. victi beatiores fuerunt secundùm Plutarch. quam qui eum effugerunt.*
69 *Æthiopum, qui à Lusitanis adsportantur, servitus, multis aliis bonis compensatur, quæ ea mediante recipiunt.*
70 *Injuriæ sunt, quibus gratiæ debentur.*
71 *Manumissionis alapæ, & injuriæ fœlices vocantur à Claudiano.*
Lex ult. C. de emancip. liber. *illustratur*, ibid.
72 *Romani multum laudantur ob gentes barbaras & efferas, quas belluis domuerunt, & politicas reddiderunt.*
73 *Romani sui imperii augmentum ob bonos mores & leges, quibus subditos gubernabant, & excolebant, meruisse dicuntur.*
74 *Romanorum imperium legitimum, & Dei permissione quæritum, & ab Ecclesia approbatum fuisse, plures affirmant.*
75 *Gothi cur nomen & gloriam Romani imperii abolere desierint.*
76 *Hispani longè superant Romanos in bonis, quæ subactis à se Indis communicarunt.*
77 *Indi antea barbari & efferi, hodie Hispanorum cura, religione, & bonis moribus, atque artibus admodum pollent.*
78 *Hispana gens plures barbaras, & efferatas nationes excoluit, quam reliquæ mundi.*
79 *Indi ob barbariem inter servos numerantur.*
80 *Indi suppositò quod natura servi essent, justè suis imperiis, & bonis spoliari potuisse, videntur.*
81 *Servi nihil proprium habere possunt.*
82 *Servi sine domino, & prò derelictis habiti, à quocumque occupari possunt.*
83 Lex quod servus, ff. de stip. serv. & lex si usumfructum, ff. de lib. caus. *exornantur.*
84 *Indi etiam sub propriis Regibus constituti ab illorum imperio eximi potuerunt.*
85 *Regere qui se ipsos non valent, alios regere non debent.*
86 Lex sic eveniet, ff. ad L. Jul. de adult. lex homo liber, §. fin. de acquir. rer. dom. lex ult. C. de legit. tut. *expenduntur, & exornantur.*
87 Cap. indecorum, de ætat. & qualit. ord. *illustratur.*

1 SUperiori titulo † ille alter à nonnullis subjici solet, qui ex ipsa Indorum, has Australes, & Occidentales regiones habitantium, natura & conditione descendit. Ajunt namque ita feros, barbaros, incultos, & agrestes, ut plurimum, repertos fuisse, ut vix hominum appellatione digni viderentur; ac proinde & potuisse, & oportuisse nostris Regibus subjici, & supremo Imperio, jurisdictione, & gubernatione suarum provinciarum, ac personarum privari, ut sic tamdem ad humanitatem, & civilitatem adducti, Christianæ Fidei & religionis capaces reddi valerent.
2 Quem † titulum inter præcipuos Apologiæ suæ considerasse dicitur Joan. Ginesius Sepulveda, & expressè refert & sequitur Marquard. de Susanis *in tract. de Jud. & Infidel. 1. p. c. 15. num. 1.* Joan. Major. *in 2. Sentent. distinct. 44. opin. 3.* Alphons. Guerter. *in Specul. Princip. cap. 31. num. 5. & sequent.* Joan. Boter. *in relat. univers. 4. part. lib. 3. ex pag. 65.* Thom. Boc. *de sign. Eccles. libro 8. c. 5. pag. 309. & lib. 10. c. 13.* Et de ejus veritate sub quibusdam distinctionibus inquirunt Victor. *in 1. relect. de Indis n. 4. & n. 20. cum seqq.* Gregor. Lopez *in l. 2. tit. 23. p. 2. glos. 3. col. 6. vers. Subdit etiam, & col. 3. vers. Præterea, & col. 6. vers. Et postea quam, & col. 14. vers. Alius titulus:* Dom. Bañez *in 2. 2. q. 10. art. 10. col. 533. vers. Arguitur tertiò.* Egoque pro ejus comprobatione, & illustratione hæc, quæ sequuntur, argumenta, satis, ni fallor, efficacia perpendo.

Primum, † quia licèt veteres hoc nomine 3 *Barbarus* variè uti solerent, pro iis, qui linguam Græcam, vel aliam quam loqui conabantur, non benè callebant, nec pronuntiabant: vel pro iis, qui Græci non erant, aut Imperio Romano non parebant, ut constat ex D. Paul. *ad Roman. 1. & 1. ad Corinth.* 14. Platon. *in Polit.* Varrone *lib. 6. de ling. Latin.* Strab. *lib. 14.* Agellio *lib. 5. noct. Atticar. c. 2. l. penult. ff. de bonis damnat. l. nulli 28. Cod. de Episcop. & Cleric. l. ult. Cod. de postlimin. revers.* cum aliis, quæ tradit Alciat. *in l. scriniis Cod. de Palatin. sacr. largit.* Turneb. *libi 2. adversar. c. 18.* Gent. Hervet. *in not. ad Clement. Alexand. pag. 4.* Lorin. *in Act. Apost. c. 1. versic. 1.* Joan. Ferdin. *in l. Thesaur. Script. verb. Barbarus:* Joan. Funger. *in Etymol. eod. verb. pag. 119.* & Bernard. Aldrete *de antiq. Hispan. lib. 3. c. 28.* Ubi agit † de causa nominis provinciæ Barbariæ, 4 quæ hodie *Berberia* dicitur. Proprius tamen, & frequentius † ad eos referri solet, qui rudes, & in 5 periti sunt, vel naturali quadam feritate, aut cœcitate ducti, à communibus humanæ vitæ regulis deviant, rectum rationis usum non habent, nec legibus & moribus naturali rationi consentaneis utuntur, ut apertè docet D. Thom. *1. Polit. lect. 1. & 9.* ubi inquit. *Barbarus hoc signo declaratur, quod homines non utuntur legibus rationalibus.* Albert. Magn. *7. Ethic. tract. 1. c. 1. Barbari dicuntur, qui nec lege, nec civitate, nec alicujus disciplinæ ordine disponuntur, ad virtutem:* Carol. Steph. *in d. verb. Barbarus, Barbari etiam dicuntur alliterati, malis moribus, feri, crudeles;* & idem tradit D. Sebast. Covar. *in satis docto thesauro linguæ Hispan. eod. verb.* & de his nostris Indis agentes Joseph Acosta *in prooem. ad lib. de procur. Indi. salut.* Joann. Boter. *in relat. univers. 4. part. lib. pag. 65.* & Fr. Joann. Torq. *in Monarch. Ind. lib. 14. cap. 28.*

Quibus favet † ejusdem nominis etymologia, 6 quam quidam deducunt ex Hebræo nomine *Bahar*, quod *brutum* significat, vel ex verbo *Bahar*, id est *furenter agere*, † quasi Barbari quoque fu- 7 renter agant, & ut bruta solent, furioso impetu ducantur ad ea, quæ appetunt. Unde † & ipsa 8 bruta ferarum etiam nomen acceperunt secundùm M. Varronem relatum à Balduin. *in §. feræ, n. 1. inst. de rer. divis.* quod naturali suo impetu ferantur, & ruant, nullo hominum commercio, mansuefacta, vel imperio dominata. Et † licet ali- 9 qua

qua faciant, quæ rationis & prudentiæ specimen habere videantur, instinctu tamen magis quàm intellectu ad ea diriguntur, & finem propter quem operantur, non assequuntur. Ut contra vanam aliquorum opinionem, qui brutis aliquid rationis & prudentiæ inesse docuerunt, ex rectæ Philosophiæ, & Theologiæ regulis concludunt Aristot. *lib. 3. de anima*; ubi Albert. Magn. Philopon. & Card. Toler. *q. 6.* D. Thom. *1. 2. q. 13. artic. 3.* Gregor. *l. d. 3. q. 1.* Hieronym. Fracastor. *lib. de intellect. à fol. 191.* Andr. Liban. *in disp. de contemp. intellect. best. part. 2.* eruditissim. Mart. Delr. *lib. 2. disquis. magic. q. 20. pag. 101.* Mench. 10 *controv. illust. lib. 1. c. 21. num. 14. & sequent.* † Reverend. P. M. Fr. Anton. Perez, Benedictinæ Congregationis fulgentissimum decus, *in laurea* 11 *Salmant. cert. 17. per totum*, ubi etiam tractat, † an bruta loqui, aut sermonem humanum intelligere possint? & Simon Majol. *in diebus Canicul. 4. tom. colloq. 1. de dignit. hom. pag. 105.* ubi † resolvit bru- 12 tis hac de causa injuriam & vim propriè inferri non posse, ut potè quæ rationis juris atque domi- 13 nii capacia non sint. Quibus similes † esse, meritò judicantur prædicti Barbari, qui vel omninò rationis lumine destituuntur, vel illud ferocia, aut stoliditate sua adumbratum, & obscuratum habent, ut constat ex Isai. *cap. 11. 43. & 65.* ubi eos sub appellatione bestiarum agri, *luporum, pardorum, ursorum, leonum, draconum & struthionum* designat; & ex Horat. *lib. 1. epist. 2.* à quo canes immundi, & sues, vel porci nominantur:

Sirenum voces, & Circes popula nosti,
Quæ si cum sociis latus, cupidique bibisses,
Vixisses canis immundus, vel amica luto sue.

Et alibi:

Cùm videre voles Epicuri de grege porcum.

14 Et † eadem ratione, multum in nostris terminis, Saracenos, *bestias* appellavit Oldrad. *d. cons. 72. n. 3. in princip.* relatus ab Ant. Scapp. *de jure non script. lib. 2. c. 2. n. 17.* & Calisto Remir. *de lege Regia*, §. 32. *n. 5.* Et † bellissimè Alphonsus Ara- 15 goniæ Rex, ut in ejus dictis & factis refert Ant. Panormit. *lib. 11. §. 54.* eos, quos videbat ex homine nihil præter effigiem possidere, non homines, sed *homones* appellandos esse dicebat, Ennianum illud adducens:

Vulturis in sylvis miserum mandabat homonem.

Et Socrates homines sine ratione simias vocabat, ut ego notavi *in libello de crim. parric. pag. 79.*

Non enim † ex solo aspectu & forma homines 16 judicandi sunt, sed ex ratione potius, quæ eos ab animantibus distinguit, & separat, & ob quam ad imaginem & similitudinem Dei homo formatus dicitur, *Genes. 1.* reliquorum animalium domi- 17 nus, & imperator fuit, & † μικροκοσμος, id est, *Parvus mundus*, appellatur, quasi de omnium mundi creaturarum natura participans; habet enim commune esse cum lampadibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, & intelligere 18 cum Angelis, ut benè † in hominis definitione consideravit Plato, relatus à Theatr. vitæ human. *vol. 4. lib. 4. pag. 1177. col. 1.* Aristot. *lib. de mundo ad Alex.* Plin. *lib. 7. nat. hist. c. 1.* D. Gregor. *sup. Marc. c. 16. homil. 29.* Cœl. Rhodigin. *lib. 1. lect. antiq. c. 2. & 39. & lib. 24. c. 50.* Guillelm. Bened. *in cap. Raynutius, verb. Adjectæ, num. 17. de testam.* Casan. *in Catal. glor. mund. 2. p. consid. 1. & 2.* Petr. Greg. *lib. 7. Syntag. c. 1. num. 3.* Gentia. Hervet. *in Scholiis ad Clem. Alex. pag. 8. in princip.* Doctores *per text.* ibi, † *in l. in pecu-* 19 *dum 28. ff. de usuris, l. justissimè 44. ff. de ædil. edict. §. in pecudum, inst. de rer. divis.* Navarr. *in c. novit. num. 86. col. 104. de judiciis*: M. Anton. Camos *in Microcosmia, 1. part. dial. 2. & 3.* Raimun. Sebundius *in tractat. de nat. & cond. hom. dial. 1. per totum*: Castillo de Bobadilla *in Polit. lib. 2. c. 21. n. 1.* & novissimè alios allegans Calist. Remirez *in d. tract. de lege Regia in initio, num. 3. & seqq.* & eruditissimus Blassius Robles de Salcedo *in egregio tractat. de representatione, lib. 1. cap. 1.*

Quapropter licèt Natura, † quæ varias semper 20 conatur edere formas, *l. 2. §. sed quia, Cod. de vet. jur. enucl.* inter alia monstra, † quædam etiam, 21 humanam effigiem referentia, confinxerit, hæc tamen, si intellectu, & ratione carent, inter homines computari non debent, ut post Plin. *d. lib. 7.* observat Aul. Gellius *lib. 9. noct. Atticar. cap. 4.* Strab. *lib. 1. ad medium*: D. August. *lib. 16. de Civit. Dei, c. 1.* D. Isidor. *lib. 11. Etymolog. cap. 3.* D. Antonin. *1. part. histor. tom. 1. cap. 1. §. 2.* Joan. Bohem. *de morib. omn. gent. lib. 2. c. 8.* & de *Satyris, Faunis, Sylvanis, Hyppocentauris, Syrenis, Tritonibus, Nereadis, Harpiis*, & aliis monstris terrestribus, marinis, & aereis: idem Plin. *lib. 10. c. 49.* Ælian. *lib. 10. c. 18.* Alex. ab Alex. & ejus locupletissimus additionator Tiraquel. *lib. 3. Genial. c. 8.* Bapt. Fulgos. *lib. 1. memorab. c. 6.* Petr. Mexia *in sylva var. lection. 1. part. cap. 8. & 21.* Simoni Majol. *in dieb. Canicul. tom. 1. colloq. 2. pag. 5. & multis sequentib. & tom. 2. colloq. 1. pag. 40. & 41.* & novissimè Francisc. Torreblanca *lib. 2. de Magia, cap. 34.*

Sed præstat, † ut Ciceronem audiamus, qui 22 *lib. 3. Offic.* prædictum discrimen belluarum, & hominum ita eleganter expressit: *Inter hominem, & belluam hoc maximè interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paulum admodum sentiens præteritum, aut futurum: homo autem, quoniam rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque adnectit futura, facile totius vitæ cursum videt, ad eumque dirigendam præparat res necessarias. Eademque natura rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem, ingeneratque imprimis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque ut hominem cœtus & celebrari inter se, & à se obiri velit, ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent, & ad cultum, & ad vitam: nec sibi soli, sed conjugi, liberis, cæterisque quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exsuscitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primisque hominis est propria veri inquisitio, & investigatio.*

Hoc idem non minus † eleganter notarunt 23 Sallust. *in princip. conjurat. Catilina*: Horat. *lib. 2. serm.*

serm. satyr. 6. & Ladislaus Rex Hungariæ ac Bohemiæ relatus ab Æn. *Silv. lib. 3. comment. in Panorm. & in Theatr. vitæ humanæ vol. 5. lib. 1. pagin.* 1198. *col.* 2. ubi homines barbaros, segnes, & indoctos *appellatione hominum indignos, & brutis similes vocant*; & Senec. *in Proverb.* dum † ait:
24 *Tolerabilior est pœna vivere non posse, quam scire*, Et D. Clemens Alexand. *in epist. adhort. ad Gent. pag.* 2. Ubi † inquit, non solum belluas, verum
25 lapides, & ligna esse homines insipientes, & quod lapidibus est minus sentiens, qui est tinctus ignorantia; idem etiam sentit Boëcius *de consolat. Philosoph. lib. 5. metro. 5.* Ubi † ex recta hominis figu-
26 ra, animum quoque ejus rectum, & cœlestium spectatorem esse debere, & in hoc à brutis differre, sic piè & graviter scriptum reliquit:

Quam variis terras animalia permeant figuris
Namque alia extento sunt corpore, pluueremque verrunt,
Continuumque trahunt, vi pectoris incitata sulcum,
Sunt quibus alarum levitas vaga, verberetque ventos,
Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.
Hæc pressisse solo vestigia grestibusque gaudent;
Vel virides campos transmittere, vel tubire sylvas.
Quæ variis videas licèt omnia discrepare formis.
Prona tamen faciei hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum elevat altius cacumen,
Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.
Hæc nisi terrenus malè desipis, admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis, exerisque frontem
In sublime feras animam quoque ne gravato pessum
Inferior, si dat mens, corpore celsius levato.

27 Secundò facit † quod Indi, de quibus loquimur, sub prædictis Barbarorum, & belluarum notis comprehendi videntur, cum pro majori parte, ut diximus, eis similes reperti sint, & vix quidquam humanum præter effigiem hominum retinente. Qod benè ostendit. Adrian. Turneb. *lib.* 20. *adver. cap.* 11. & omnes Auctores qui de eisdem Indis peculiares historias scripserunt. Inter quos †
28 Ovet. *lib. 3. c. 6.* & Amer. Vespecius relatus à Majolo, *d. tom.* 1. *colloq.* 2. *pag.* 61. apertè testantur, gentem hujus Antarctici Poli sylvestrem esse, ferarum more viventem, palam, & ubique fœminis commiscentem, nihil adorantem, nudamque incedentem, & Pet. Mart. *in decad.* 1. *Novi Orb.* idem scribit de Indis insulæ Hispaniolæ, præcipuè in provincia Guaccajarima, quos inquit: *Sylvestres esse, antra, sylvasque, habitare, absque, ullo hominum societatis commercio, nudos, sineque loquela esse: captos, nusquam circures fieri, sine ulla lege vivere, solaque de facie homines rationales videri.*

29 Doctiss. † etiam Pat. Joseph. Acosta eorumdem Indorum propugnator accerrimus *lib.* 1. *de nat. Novi Orb. c. ult. in fin.* rationem ipsam persuadere ait, hoc genus hominum sylvestre fuisse ex Barbaris, profugisque hominibus maximè propagarum & quòd licèt tempore procedente in Mexicano, & Peruano Regno aliqua forma Reip. introducta fuerit, Barbara quoque ipsa, sed à cætera barbarie Indorum plurimum abhorrens; diutissimè tamen omnes nullos habuerunt Reges, nullam certam constitutam Rempublicam, sed promiscuè turmatim habitasse, ut modo *Floridi, Brasilienses*, & *Chiriguani*, & pleræque gentes Indorum, qui nullos habent certos Reges; sed prout belli, pacisve fortuna tulerit, subitò ac temerè Duces creant, atque eos mores probant quos libido, furorque persuaserit.

Eamdem sententiam luculentius idem Auctor prosequitur *in prœem. ad libros de proc. Ind. salu.* ubi tres Indorum classes constituit, & barbariem earum sigillatim expendit, de quibus Nos *inferius* agemus: & rursus in *eodem tract. lib.* 1. *c.* 2. *pagin.* 134. & 135. de omnium Indorum traditate, & feritate ex multorum judicio, & opinione agens, & quàm difficilis ob id illorum conversio censeri debeat: *At natio*, inquit, *Indorum (& si alii aliis præstat) universa tamen est ab omni ingenuitate alienissima, tota sordida, tota servilis ingenio ut plurimum obtuso, judicio perquam imbecilli, inconstans prorsus, & lubrica, Moribus infidi, ingrati, metu solùm cedere, & vi, honoris vix sensum habere, pudoris propemodum nullum. Neque servile tantum ingenium est, verum etiam quodammodo brutum: ut facilius putes feras cicurare, quàm istorum vel frænare temeritatem, vel excitare torporem: adeò ad percipiendum rudes ad cedendum sunt duri, & pervicaces. Denique ut irrationalia pecora naturaliter in captionem, & in prædam apta in corruptione perpetua degunt: neque matrimonii leges, neque naturæ reveriti libidine pro ratione utuntur.* Et post alia his similia, quæ *ibidem* commemorat, in *capitul. sequentib.* subdit: *Videas plerosque ferarum instar non urbes & oppida, sed rupes, atque antra incolere, neque gregatim vitam degere, sed sparsim sæpè intertis vagari sedibus. Itinera cervis aut ibicibus tantum pervia. Domus nulla, non tectum, non paries fundamento surgens, caulas pecorum aut vivaria dicas potius, quam hominum cœtus.*

Idem non minus graviter, & disertè scriptum reliquit † M. F. Ludovic. Legiones. *sup. Abdiam.* 30 *cap. ult. pagin.* 668. *& seqq.* ubi exponens illud Isaiæ *c.* 18. de quo latiùs locuti sumus *sup. lib* 1. *cap.* 15. *ex num* 20. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, conculcatam, & dilaceratam, ad populum terribilem, &c.* ait, hæc verba proprie de nostris Indis intelligi, qui *convulsi* dicuntur propter vivendi morem varium; & agrestem: maxima enim ex parte nullo communis, aut unus Reip. vinculo conjungebantur, sed vel per agros dispersi ferarum more vitam degebant, vel qui urbes, & oppida colunt, pro urbium ferè numero, alii alios vitæ mores, alias religiones, alia sequuntur instituta Reipublicæ. *Dilacerati* vero & *conculcati* ob corporis ipsorum habitum, & cultum horridum, & squalidum imberbem, & depilatum, & propter ingenium, & conditionem vitæ ipsorum: sunt enim abjectissimi, & ingenio humili, & ad serviendum nato. *Terribiles* autem ob incultos, atque ferinos mores. Nam, & humanis carnibus vesci soliti erant, & idolis humano sanguine sacrificabant, & ad bellum procedebant ora picti coloribus horrendum in modum, justi porró, atque injusti discrimen non tenebant, ac plerique eorum promiscua, & mascula venere palam utebantur.

Ipse etiam Legionensis idem repetit *in comment. sup. Cantic. c.* 8. *pag.* 433. de eisdem Indis propter morum barbariem, & pravitatem exponens illud, *Soror nostra parvula est, & ubera non habet* de quo etiam egimus *d. cap.* 15. *ex num.* 38.

Eam-

Eamdem quoque Indorum barbariem, & feri-
31 tatem adhuc magis in specie prosequitur † Joan. Boter. *d.* 4. *part. relat. univers. lib.* 3. *pag.* 66. *& sequent.* Ubi connumerat ridiculos, & simplices, ac feros etiam impios, & crudeles mores, & ritus quam plurium nationum, veluti *Hispaniolorum Popajanorum, Mexicanorum, Peruensium, Chilensium, Salomoniorum*, & aliorum similium. Et
32 † *in ead.* 4. *p. lib.* 2. *pag.* 23. in omnibus Indis, exceptis Mexicanis, & Peruanis, eamdem hebetudinem, & sylvestrem vivendi modum agnoscit, ita ut eorum plures ultra quinque numerare nescirent.

33 Thom. † item Bocius Eugubinus in suis doctis, piis & sæpè à nobis citatis libris de signis Ecclesiæ Dei, hoc argumentum passim pertractat. Imprimis enim *lib.* 7. *c.* 4. *sign.* 28. cùm ostendere vellet, barbaras, indomitas, & efferas gentes, per Ecclesiam *Christi*, & ejus Fidei susceptionem, ad humanitatis cultum perductas fuisse, ut implerentur plures Prophetiæ, quæ id prænuntiabant: *Accedamus*, inquit, *ad Indias Occidentales, quarum si efferos omnes mores in medium adducere vellemus, nullus esset dicendi finis.* Et posteà aliquos valdè notabiles recenset, quorum peculiarem tractationem *infrà c.* 10. prosequimur. Et iterum *lib.* 8. *c.* 5. *pagin.* 309. de eisdem feris, & inhumanis gentibus agens per Rempub. Catholicam omnibus seculis pios, & humanos mores edoctis, sic ait: *Jam verò quis enumeret tot nationes in Africa, Asia, Indiisque Orientalibus, & Occidentalibus? ut illæ nihil habebant plerumque, nisi humanam figuram: nam cætera belluina omnia. Quocirca necesse fuit Hispanis interdum facere, quod illis agricolis, qui locum aliquem vepribus obsitum, dumetis undique implexum, & obseptum, arboribus infructuosis, & venenatis abundantem, excolendum susceperunt, ferro, & igne terram purgare.* Et *l.* 10. *c.* 13. tractans, liberalitate Ecclesiastic. perfectum esse, ut efferatissimæ gentes potuerint adduci, ad Christum in imperio contineri, & ad omne bonorum genus excoli, apponit exemplum in eisdem Indis Occidentalibus, quorum conversio mediante Sedis Apostolicæ cura, & Catholicorum Regum pietate, & liberalitate peracta fuit, & honestam contentionem inter Columbum, & Fr. Buillium Catalanum sæpè intervenisse ait, an in gentes illas à nostris aliquo modo sæviri posset, cum aliter ad veræ Fidei, imò nec ad rationis cultum adduci valerent? *Belluinis namque*, inquit, *factis belluas omnes superabant: Namque bestia sui generis bestias dovorat, ut illi mutuò sese comedebant, quæ bestiæ filios suos alunt, ut pinguiores & adultiores effecti, sint parentibus, (horrendum dictu!) pro cibo, &c.*

Quam eamdem feritatem, & proprios filios comedendi inhumanitatem idem auctor repetit *lib.* 21. *c.* 3. *& lib.* 22. *cap.* 1. ad medium, *& in tract. Imperia pendere à virtutib. cap.* 12. *in fin. pag.* 176. explicans eventa fœlicia prosapiæ Regum Castellanorum, eis à Deo ob Fidei Catholicæ observationem, & propagationem concessa: & generaliter concludit, quòd inter Indos nulla lex, nullus mos paulò humanior, disciplina nulla, aut ars nobilis vigeat.

Denique *lib.* 20. *c.* 7. *sign.* 88. agens de locis desertis per Catholicos cultis, & ornatis, in eis-
dem Indiis exemplum proponit; in quibus ait, *Oppida innumera, & civitates pulcherrimæ passim conduntur, in quibus constituuntur cœtus hominum, excitantur fundamenta generationis & generationis eorum, qui bestiarum modo prius incertis sedibus vagabantur, & in stabulis ipsis habitabant.*

Notanda etiam hac in Parte sunt verba † Fr. 34
Gregor. Garciæ *in tract. de origin. Ind. l.* 3. *c.* 4. *in princip. pagin.* 237. ubi ait, Indos omnes communiter admodum rudes, atque hebetes esse, corporeque, aspectu squalidos, & magis servilis atque abjectæ conditionis quam Æthiopes, aut aliæ mundi nationes.

Sed quid plenius cæteris hoc pertractat, est † 35
Ant. de Herrera *in sua hist. gen. Ind.* ubi multa passim commemorat, ex quibus hæc barbaries ferè omnium Indorum colligi possit. Nam *decad.* 1. *l.* 3. *c.* 3. *&* 4. *& l.* 9. *c.* 7. de Indis insulæ † *Hispaniolæ*, & *Cubæ* agens, eorum feros, spurcos, 36
& inconstantes mores recenset, & à dæmone possessos fuisse ita ut rationis vestigia vix tenerent, neque ullo modo domari, aut corrigi possent: & quòd adeò rudes erant, ut ultra decem numerare nescirent, ac multis annis nihil ex orationibus Christianorum discere potuerunt, præter illa verba salutationis Angelicæ, *Ave Maria.*

Et *decad.* 2. *l.* 2. *c.* 3. *pag.* 35. de eisdem Indis generaliter loquens, tradit, ideò rudes, & barbaros, & memoria fragiles fuisse, ut quod unà aure à prædicatoribus accipiebant, alia exiret, & nihil in Christiana disciplina, & politicis moribus proficere possent.

Et *l.* 2. *c.* 15. *pag.* 56. quòd cum reverendi illi, & piissimi Patres Ordinis D. Hieronymi ad Hispaniolam accessissent, missi à Rege, ut de Indorum salute temporali, & spirituali curarent, experiendo cognoverunt, eos, propter naturalem hebetudinem, & forociam, ac memoriæ defectum, parum aptos esse ad Fidem recipiendam, si liberi, & pro arbitrio suo vagantes, atque ab Hispanorum dominio, & communicatione separati relinquerentur. Quia eam † solam 37
ob causam, quòd ad Christianam doctrinam, & civiles mores audiendos, & imbibendos suadebantur, profugi in montibus, & speluncis latitabant; ita ut multi religiosi viri eo tempore extiterint, qui † illos veros homines non esse, 38
nec capaces Eucharistiæ, & aliorum nostræ Religionis mysteriorum opinarentur.

Et *l.* 4. *ejusdem decad.* 2. *c.* 3. *&* 4. eadem † Indorum vitia ex quam plurimum affirmatione recenset, & disputationes illas proponit inter Episcopum Darienis, & Licentiatum Barthol. *de las Casas*, coram Carolo V. Imperat. Barchinonæ habitas; in quibus Episcopus seriò affirmavit, Indos omnes, quos ipse ad id usque temporis viderat, in insulis, quas vocant *de Barloventos*, & in provincia *Darienis*, quam dicunt *de Tierra firme*, mirum in modum barbaros & servos à natura esse. De quo etiam agit Pet. Martyr. *in decad. Nov. Orb. fol.* 95. Hieronym. Benc. *in histori Ind. l.* 1. *c.* 17. *pag.* 78. Et sequentib. & ejus aditio, Joan. Boter. *in dict. relat. univers.* 4. *part. l.* 3. *ex pag.* 64.

Et rursus idem Ant. de Herrera *decad.* 3. *l.* 8.
c. 10.

c. 10. pag. 312. & 313. refert, in eadem sententia fuisse alios viros admodum Religiosos Dominicani & Franciscani Ordinis, & inter eos Fr. Thom. Ortizium in supremo Indiarum Consilio, cui eo tempore præsidebat F. D. Garcia de Loaisa Episcopus Oxomens. ovillato testimonio asseruisse, prædictos Indos antropophagos, & masculæ nefandæ veneri ultra omnes nationes
40 deditos esse, nullo pacto justi, & injusti discrimen agnoscere, nudos, & sine aliquo pudore bestiarum more vagari, nihil ducere aliis, vel sibi ipsis necem inferre, ebrios, ignaros, ignavos, impios, irreverentes, inconstantes, infideles, ingratos, superstitiosos, religionis Christianæ incapaces & mendaces supra modum esse, & adeò sordidos, & sine politia, ut pediculos, araneas, vermes, & his similia comederent, † barbas sibi expilarent, facies & corpora variis modis pingerent, aut potius fœdarent: ægrotos morti vicinos, quantumvis propinquos, in campis solos relinquerent: & denique nullam omnino gentem Deum creasse, tot vitiis imbutam, & ita à bono, & æquo, atque humanis & politicis regulis abhorrentem.

Denique idem Auctor. decad. 2. l. 1. c. 8. pagin. 15. l. 2. c. 22. pag. 72. l. 9. c. 7. pag. 189. l. 10.
41 c. 5. pag. 328. & seq. & in descript. Indiar. pagin. 14. hoc ipsum † de Indis insulæ Guadalupæ testatur, & de aliis eis vicinis, qui antropophagi, & omninò barbari sunt, & ob ingenitam ferociam, & crudelitatem Caribes, & Canibales appellantur, & multis decretis Regiis debellari, & in servitutem redigi permittuntur. Et decad. 3. l. 2. pag. 75. & l. 7. c. 3. & in d. descript. pag. 30. idem refert de Chichimecis, & aliis Chontalibus Novæ Hispaniæ, inde etiam sic dictis, quod barbari, & sylvestres essent, & hodie sint nullam religionem, nullumque superiorem habentes. De quibus agunt etiam, & idem concludunt Boter. d. l. 3. Acosta in d. proœm. l. de procur. Ind. salut. Fr. August. Davila in hist. Mexic. Ord. Prædicat. l. 1. pag. 243. Fr. Joan. à Torquem. in Monarch. Ind. l. 14. c. 29. & addition. Hieron. Benzoni in histor. Amer. l. 1. c. 2. in fin.
42 pag. 13. Neque † omitti potest, ut generaliter omnium, Indorum simplicitas, & ruditas denotetur, quanta admiratione navigia nostra sine re-
43 mis ambulantia conspexerint: equos † item, & equas, cum quibus insidentes homines unum corpus esse, centauri specie, etiam Mexicani putarunt quousque equi duo confossi spathis, mactatique clavorum ictibus conciderunt, & deprehenso errore, detracta statim equi scoria, usque adeò exactè tomento repleverunt, ut vivorum effigiem representarent, & in templo tamquam admirabilis rei spectaculo suspende-
44 runt. Bombardarum † etiam & sclopetorum jacula, ut cœli tonitrua, & fulmina maximope-
45 rè expavescebant: & † literarum usum, quarum scriptura, se veluti quodam veneficio illigari, multi censebant, & alii id Divinitatis certissimum argumentum esse putabant, vel rem viventem & animatam, & in qua aliquis spiritus lateret, cum chartæ scriptæ vocem occulta ines-
46 se viderent. Et pari † fermè modo terrebantur, cum Hispanos homines, aut fœminas saltantes conspicerent, eos insanire putantes, multòque magis eos tam subitò ad se se redire mirati sunt.

Quibus alia plura hujuscemodi adjicere possem, quæ tradunt omnes hujus Novi Orbis historici, præsertim Petr. Martyr. decad. 1. Pet. Zieza tom. 2. c. 34. Ovet. l. 2. c. 6. Ant. de Herrer. d. decad. 1. l. 2. c. 3. & l. 3. c. 6. & l. 4. c. 2. & l. 5. c. 7. & 8. & l. 9. c. 8. & 15. & l. 10. c. 1. & alibi passim, Garcilasus Inca in suis comment. 1. part. c. 12. & 2. 2. p. l. 9. c. 16. Simon Majol. in dieb. Canicul. tom. 1. colloq. 23. de reb. memorabil. pag. 548. Paul. Jonius l. 34. hist. relatus à Theat. vitæ hum. vol. 1. l. 1. pag. 28. Ludovic. Vives de Christianæ fœm. inst. l. 1. relatus ab eodem Theat. vitæ hum. vol. 6. l. 6. pagin. 2024. & vol. 15. lib. 1. pag. 2956. & Hieron. Benzon. l. 1. hist. Americæ c. 13.

Quæ Indorum † simplicitas & barbaries mul-47
tum Hispanis aliquando profuit, ut alibi diximus, ut eos ad se faciliùs perducerent, & juxta relationem Ant. de Herrer. d. decad. 1. l. 6. c. 6. ea in optimo casu usus fuit † Christophorus
48 Columbus. Nam cum Lunæ eclipsim proximam esse observasset, id Indis prædixit, & ob eam rationem eventurum suasit, quòd Luna eis irata erat, quia Hispanos grato hospitio non excipiebant, neque annonæ copiam subministrabant, quem illi tunc maximo risu exceperunt; sed cum nocte, & hora à Columbo signata Luna obscurari cœpisset, pavidi & ululantes nihil non ei promiserunt, & exhibuerunt, ut pro eis Lunam exoraret: quòd cum is simulans se eorum precibus flecti, libenter concessisset, & nosset, citò eclipsis vim transituram, oratione pariter simulata, bono animo esse jussit, & id quod petierant, brevissimè impetraturos renuntiavit. Quod cùm statim impletum viderent, magni postea Columbum tamquam Deorum amicum æstimare cœperunt.

Imò † & in eam plures opinionem sæpè de-49
lati sunt, ut Hispanos immortales, & Solis filios existimarent, ut prædicti auctores scribunt, & Hieron. Benz. d. l. 1. c. 4. Ubi prolixè narrat, qualiter Indi insulæ Borriquenæ occiso quodam milite, cui nomen Salcedo, contrarium deprehenderint.

Et † eodem spectat Peruanorum judicium qui50
Hispanos cœlitus missos reputantes, maximè venerati sunt, & inde eos Viracochas appellarunt, ut retigimus infrà c. 12. n. 22. & novissimè tradit Fr. Alph. Ramos in hist. Virg. de Copacavana, l. 1. c. 3. Quamvis alii alias hujus nominis causas, & significationes comminiscantur, de quibus plenè agit Michaël Balboa Cabello in Miscellan. Austr. m. s. part. 3. c. 14. & Garcilas. Inca in histor, Incarum l. 5. c. 21.

Et tamdem, ut hoc argumentum de barbarie
† & feritate Indorum claudamns, notatu digna 51
videntur cujusdam Poëtæ de re hac carmina, quæ habent:

Gens

Gens Ogyge sata antiquo Janique nepotum
Progenies duris edita ryderibus:
Gens patribus priscis incognita, suetaque nudis
Sub dio quovis tempore corporibus,
Quæ flava Cereris, nec Bacchi munera novit.
Cruda, sed humana viscera carne replet,
Sola hominem facit referens risu atque loquela
In reliquis similis vita, habitusque feris.
Divinum numen cognoscere nescia, quamque est
Præstigiis solitus detinuisse Satan.

Tertio in confirmationem tituli de quo agimus, fortiter urget, quod si hujusmodi Occidentales Indi ita rudes, feri, & barbari erant, ut ex superioribus patet, jure optimo ab Hispanis
52 debellari, & subjugari potuisse videntur, † cùm secundùm doctrinam Aristot. l. 1. polit. c. 3. & 4. & l. 7. cap. 14. Platon. in Dialog. 4. de legibus Ciceron. parad. 5. similes homines natura servi sint, & ad serviendum nati, ad idque ferarum more vanari, & etiam per vim, aut aliis modis adigi possint. Illa namque præcipitur, ut sicut corpus subditur animæ, sic hebetiores sapientioribus subjiciantur, & ut qui doctrina & ratione ad bonum & rectum duci non possunt, quasi belluæ quædam sub jugo ponantur, & legum auctoritate coerceantur, ut per hunc modum coacti recta operantes, virtutum actibus assuefiant, & tamdem in bonos viros evadant, ut præclarè Idem ipse Aristot. tradit l. 2. & 10. Ethicor. & d. l. 1. Polit. cap. 5. ubi inquit: *Bellum justum est natura contra eos homines, qui cùm nati sint ad parendum & obediendum, nolunt tamen parere.* Quæ loca explicans & exornans † Cælius Cal-
53 caginnus in paraph. ad Polit. Arist. cap. 32. ait: *Venatoriam bellicæ artis partem esse, qua non modò adversus feras pugnemus, sed in eos etiam homines arma vertamus, qui ad parendum nati parere detrectant, & per contumaciam mores non patiuntur. Hujusmodi bellum justum est, utpote quod auspiciis naturæ geritur.*

Et circa eumdem articulum † est videndus
54 D. Thom. de regim. Princip. lib. 3. cap. 10. & 11. & quæ doctè tradunt, & prosequuntur Domin. & Præposit. in c. jus gentium n. 9. 1. dist. & ibi Cardin. Turrecrem. art. 4. Imola in proœm. Gregor. num. 4. Cepola in tr. de servit. tit. de servit. person. cap. 1. n. 2. Ægid. Roma. in 3. p. l. 2. de regim. Princip. cap. 13. & 14. Domin. Soto libr. 4. de just. & jur. quæst. 2. art. 2. Cagnol. in l. quod attinet, de reg. jur. Alphons. Guerrer. in Thes. Christ. relig. c. 41. & in specul. Princip. cap. 31. ad fin. Menchac. lib. 1. controv. illustr. c. 9. numer. 3. Andr. Tiraq. in l. 1. connub. num. 48. Covarr. in regul. peccatum 2. part. §. 11. n 5. Montalv. in l. fin. tit. 6. gloss. fin. lib. 3. fori. Capic. decis. 130. à num. 35. Chrysost. Javel. in epist. lib. 4. Polit. tract. 5. cap. 1. vers. Secunda species pag. 193. Poleoth. de sacro Consil. 2. part. quæst. 3. vers. Quibus addimus, Vacon. lib. 1. declar. jur. c. 26. n. 8. Joan. Borcolthen. & alios in §. servitus instit. de jure person. Quibus etiam fa-
55 vet, quòd sicut † reliqua bruta animalia hominibus natura, hoc est Dei ordinatione deserviunt, ob id tantùm, quia mente præcellunt, juxta illud Psalm. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus oves, & boves, insuper & pecora campi. l. justissimè, ff. de ædil. edict. l. in pecudum, ff. de usu-*

ris, & Ovid. l. 1. *Metamorph.* dum canit:

Sanctus his animal, mentisque capacior alter
Deerat adhuc, & quo dominari inter cætera posset,
Natus homo est.

De quo plura tradit D. August. lib. 19. de Civit. Dei c. 15. & Simon Majol. in dieb. Canic. tom. 4. colloq. 2. pag. 97. & pag. 137. & Castill. Remir. de l. Regia, §. 1. Sic etiam † homines barbari,
56 qui brutis, ut supra diximus, assimilantur, aliorum prudentiorum imperio subjici debent, à quibus doceri, & politicè gubernari possint, ut præclarè ultra alios docet Petr. Fab. lib. 3. Semestri c. 14. pag. 191. intelligens namque gubernacula possidebit, & qui stultus est, servier sapienti,
57 † quia servitus nascitur in manu imprudentis, ut habetur Proverb. c. 1. vers. 10. & 26. Quæ verba exponens D. Ambros. l. 2. epistolarum epist.
58 7. ad Simplicium † eleganter ostendit, solos sapientes vera libertate gaudere, & Insipientes eo-
59 rum servos esse, exemplum † Cham adducens Genes. 9. qui quoniam insipiens erat, & insipienter nudatum patrem irriserat, fratrum suorum servus effectus fuit, qui sapientiores, patris senectutem honorandam putarunt. Et † in Jacob, qui
60 Genes. 25. sapientiæ etiam merito prælatus est fratri seniori, qui Esau vocabatur, quod † no-
61 men, Philone testante, idem significat, quod *ignorans.* Unde sufficienter ostendit, subdit idem Ambros. *Deteriorem esse servitute † insipientiam,*
62 *ut remedio ei servitus sit quia ad virtutem stultus se propriis viribus erigere nequit, neque spontaneum gressum attollere, & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Ideò † inconsultis populis sapientes quoque adhibentur rectores,*
63 *qui plebejam insipientiam vigore proprio regunt ut potentiæ specie dominentur. Quo vel invitos auctoritate potestatis subjiciant ad obediendum prudentioribus, & obsequendum legibus. Imposuit igitur insipienti velut indomito jugum, & cui in gladio suo vivendum dixerat, libertatem negavit, ut temeritate laboretur, præfecit ei fratrem, cujus auctoritate, & moderatione subjectus profiteret ad conversionem.*

Quarto pro eodem titulo communiendo, & illustrando considero, quòd regulariter † licita 64
ea bella dicuntur, per quæ ad pietatis justitiæque pacatam societatem, victis facilius consulitur, & pacis studio geruntur; ut mali coerceantur, & boni subleventur, ut in nostris terminis observat Marquard. de Susan. in tr. de Jud. & in fid. 1. part. c. 14. fol. 57. & præclarè scripsit D. Ang. relatus à Gratian. in cap. paratus, & in c. apud veros 23. q. 1. & in l. 19. de Civit. Dei, c. 21. ibi: *justum esse, quòd talibus † hominibus* 65
sit utilis servitus, & pro utilitate eorum fieri, cum rectè fit, id est, cum improbis auferitur injuriarum licentia, & domiti se melius habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt. Quemadmodum eadem ratione Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, cæterisque vitiosis animis partibus.

Unde positis iis, quæ de istorum Indorum barbarie, & feritate retulimus, & quod † non 66
alter ad humanos, & politicos vivendi mores reduci, nec naturæ, & Christianæ disciplinæ legibus assuescere poterant, quàm sub jugum missi, & Hispanorum ductu, & imperio mansuefacti,

non erit mirum, aut novum, si justum, licitum imò & voluntate Dei quæsitum, ejusmodi imperium asseveremus, quo mediante tot, ac talia animi, & corporis bona victis contingerunt, eorum cultâ barbarie, feritate frænata, mentis cæcitatè Evangelii radiis illuminata, dæmonum captivitate depulsa, præclaris, ac salutaribus legibus institutis, fœdis ac spurcis moribus in politicos commutatis, & commerciis, & artibus adeò necessariis quibus antea carebant, communicatis.

67 Quare † justissimè Thom. Bocius *l. 22. de sign. Eccles. Dei, c. 1. ad medium*, Indos, qui nunc sunt, præ antiquis illis *fortunatissimos* vocat, ob cultum, & disciplinam, quam mediante Hispanorum dominatione habuerunt. Et ut ante Nos advertit Oralora *in tractat. de nobilit. 1. p. c. 2. n. 23.* de his nostris Indis meritò dici potest, quòd Plutarch. *in lib. de fortuna, & virtut.*

68 *Alexand.* † de Barbaris ab ipso propugnatis scripsit, scilicet: *Beatiores fuisse multo ab Alexandro victos & subactos, quàm qui eum effugerunt, cùm hos, perditissimè vitam agentes, nullus arcuit, nec à vitiis redemit, ille verò ad fœliciorem vitam, & statum vel invitos traduxit, ut ipsi cum Themistocle dicere jam possint: Perieramus, nisi periissemus.*

Quam rationem generaliter ad excusandam omnium Barbarorum servitutem expressit D. August. *ubi suprà* & multi etiam considerate solent

69 † pro captivitate Æthiopum, qui ex Africa à Lusitanis adsportantur, ut refert P. Ludovic. Molin. *de justitia & jure, tr. 2. disp. 34. col. 167. lit. C.* Pat. Rebell. *de obligat. just. lib. 1. q. 10. sect. 2. num. 16.* Pat. Fr. Joan. Marq. *in Gubernat. Christ. lib. 1. c. 2. pag. 10.* & Nos *infrà lib. 3. c.*

70 *6. num. 5.* † Ubi injurias esse, quibus gratiæ debeantur concludit, & illud Tertul. *allegat. libr. de Palio c. 1. n. 10. Post injuriæ beneficium.* Et potuit allegare Claud. *in lib. de IV. Consulatu Honorii*, ubi † contumelias illas alaparum & injuriosa verbera, quæ olim in servorum manumissionibus interveniebant, de quibus agitur *in Novell. 18. & in l. ult. C. de emancip. liber.* injurias fœlices nominat, quòd earum interventu libertas concederetur.

Tristis conditio pulsatâ fronte recedit
In cervicem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera promissi fœlix injuria voti.

Prout bene observat Cujac. *l. 3. observat. c. 13.* Pet. Fab. *in l. 2. de orig. jur. & libr. 2. Semestr. c. 20. pag. 304.* Et Casiodorum *l. 12. epist. 9.* Ubi de exteris agens, quid ad Romana beneficia admittebantur: *Fœlix*, inquit, *& prædicanda captivitas, Romana civitate perfrui, & Afrorum privilegiis potuisse misceri.*

Et non minus aptè atque urgenter perpendi potest, quòd profani, & sacri Scriptores multis

72 laudibus extollunt Romanos, † eò quòd barbaras nationes bello domuerint, & ad naturæ leges & politicam vivendi normam reduxerint, ut constat ex Div. August. *libr. 5. de Civit. Dei, capit. 12. 15. & 17.* relato *in capit. omnes, §. ecce 28. quæst. 1.* & ex D. Thom. *lib. 3. de regim. Princip. c. 4. 5. & 6.* Thom. Bocio *de Imper. virtut. lib. 2. c. 6.* Ruril. Benzonio *lib. 3. de anno Jubil. c. 7. pag. 340. & seq.* Just. Lips. *de mag. Roman. Imper. lib. 4. c. 1. & sequentibus.* Simon Majol. *tom. 1. colloq. 19. pag. 436.* Bernard. Aldrete *de antiq. Hispan. libr. 1. cap. 2.* & aliis novissimè congestis à Joanne Baptista Valenzuela *in discurs. stat. & belli part. 2. consid. 22.* Ubi

73 † propter præclaros mores, & instituta, quibus se, & subactos populos gubernabant, meruisse inquiunt, ut Deus verus quamvis eum non colerent, sed dæmoniis, ut aliæ gentes immolarent, illorum augeret Imperium, ipsisque gentibus dominari voluerit, juxta illud Virgil.

Tu regere Imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere nomen.
Parcere subjectis & debellare superbos.

Et Sulpiciæ Poëtriæ relatæ à Petr. Fab. *lib. 1. Semestr. cap. 19. pag. 119.*

==Duo sunt, quibus extulit ingens.
Roma caput, virtus bellis & sapientia pacit.

Quinimò, quòd plus est, † prædictum Impe-74 rium, iis rationibus comparatum, legitimum fuisse, & permissione Dei ob egregias Romanorum virtutes eis in mercedem temporalem concessum, & posteà ab Ecclesia approbatum, idem August. & Thom. definire videntur, & ultra eos Baldus *in l. Barbarius, 3. lect. ad finem, ff. de offic. Præt.* Greg. Lopez *in l. 1. verb. Las gentes, tit. 1. part. 2.* latissimè Anton. de Rosellis *in tr. de Conciliis fol. 96.* Covarrub. *in Reg. peccatum 2. part. §. 9. num. 5. vers. Tertiò à jure divino*, Miet. *de majorat. 4. part. q. 1. num. 46.* Bobadil. *in Polit. lib. 1. c. 2. num. 14.* & novissimus Doct. Marta *in tract. de jurisdict. 1. part. 5.*

Quod adeò verum fuit, ut teste D. Hieron.75 apud Paul. Oros. *lib. 7. c. 43.* ipsi † Gothi, quamvis Barbari & Romano Imperio admodum infensi, illius nomen, & gloriam abolere desierint, propter justitiam, & utilitatem legum, quas eo vigente in universum Orbem sparsas agnoverant.

In quibus omnibus, † quantum Hispani Ro-76 manos excellant, & quanto utiliores, ac salubriores leges, mores, artes, & plurima alia ad humanam vitam humaniter ac civiliter transigendam Indis communicaverint, apertius est, quàm ut probatione aliqua egeat, & vel ex *suprà* relatis liquidò constat, & ex aliis, quæ adduximus *suprà lib. 3. c. ult. ex num. 34.* & express: docet † eruditissim. Thom. Boc. *lib. 7. de signis Eccl.*77 *Dei, c. 4. ad finem* ubi concludit: *At nunc populi omnes* (scilicet Barbarorum Indorum) *ad Christi cultum Hispanorum cura traducti, superant, vel æquant prope Europeos cunctis humanitatis ac religionis officiis, ut ex illis, qui diu per illas regiones vagati sunt, Romæ audivi, & usu percepi, cùm noverim nonnullos ex iis orturos, & indigenas, eorumque confessiones in urbe audiverim, & lib. 8. c. 5. post princ.* ubi eamdem curam commendans, sic inquit: *At sane nunc illi populi mansuetudine, docilitate, religione, ac bonis moribus nos superant*, & *lib. 21. c. 3.* ubi ait † *Ne-*78 *que legitur ulla gens tot nationes tam diris, & efferatis moribus ad humanitatem perduxisse, & excoluisse ad omnem civilem cultum, ut Hispania. Quin si coeant cunctæ nationes haud poterunt extendere tot populos, tam belluinis moribus horrentes ad humanum vivendi genus expolisse, ut Hispani fecerq.*

Quin-

79 Quinto & ultimo, pro eadem opinione considerari potest, † quod si Indi ob barbariem, & dementiam natura ipsa servi erant, ut ex Arist. diximus, neque illis ratio sufficiebat, ut seipsos

80 regere possent, justius fuit, eos servire, quàm imperare: quinimò, † & dominio particulari rerum suarum privari potuisse videbantur. Tum quia illius solum est capax intellectualis creatura, ratione liberi arbitrii, ut *infrà cap. sequent.* dice-

81 mus: cùm etiam, † quia, ut argumentatur idem Victor. *sup. num. 4.* si ratione insipientiæ erant servi, ea plane est servorum conditio, ut neque rerum dominium, neque aliquid proprium habere possint, sed quidquid acquirunt, illicò ad eorum dominos transeat, *l. placet, ff. de acquirenda hæreditate princip. instit. de iis qui sunt sui §.*

82 *item vobis, instit. per quas person.* Atque ita † ubi diffusi per agros, & sine certo Rege, aut Principe, vel forma Reipublicæ reperti sunt, meritò tamquam servi sine dominò ab Hispanis occupa-

83 ri, & imperio suo subjici potuerunt † *l. quod servus, ubi* Bartol. *ff. de stipulat. servor. l. si usumfructum*, ubi glossa *ff. de liberal. causa*, circa quas plura notat idem Bart. & Bald. *in l. si servus ff. de noxal. act.* Forcatul. *in rub. ff. de servit. n. 6. & Morla in emptor. jur. tit. 6. in rub. num. 18.*

84 Quod si † propriosReges & Imperatores habebant, ut in hoc Peruano & Mexicano Regno, & in aliis provinciis habuisse cognovimus, adhuc non minus licitè à barbaro, & tyrannico eorum jugo eximi potuisse videntur.

85 Nam cum † hi quoque Reges, juxta eamdem doctrinam Aristotel. naturam servi esssent, & sapientiorum dominio, & gubernatione egerent, alios sub se habere non poterant, neque eorum

86 feritati, aut facilitati tanti Orbis imperium, & moderatio relinqui debuit, *argument.* † *l. sic eveniet 21. ff. ad l. Jul. de adulter.* ibi: *In sua enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis, l. homo liber. 54. §. fin. ff. de acquirend. rer. domin.* ibi: *Quia nec possidere intelligitur, qui ipse possidetur.* Quibus arridet Seneca *declamat. 1.* dum ait: *Nec filio, qui est in patris potestate adoptare licet. Nec enim quisquam potest alium in manum suam recipere, qui ipse in aliena manu est.* Melior text. *in l. ult. C. de legitim. tut.* ibi: *Et naturalis ordo per omnia conservabitur, cui enim ferendum est, eumdem esse tutorem, & sub tutela constitui, & iterum eumdem esse curatorem, &*

87 *sub cura agere*, † *cap. indecorum 3. de ætat. & qualit. ordin.* ibi: *Indecorum est, ut ii debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos.* Facit illud Paul. *1. ad Timot. 3. Qui domi suæ præesse nescit, quomodo præerit alienis?* Ubi D. Chrysost. & D. Ambros. *epist. 82. Quis ferat*, inquiens, *si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit?* Et alia similia, quæ tradit Joan. Nevizam *in sylv. nuptial. lib. 5. num.* 100. Simanc. *lib. 5. de Repub. c. 14.* Castillo d. Bobadilla *in Polit. libr. 1. c. 1. num. 29. &* Nos *infrà c. 9. num. 57.* repetimus *& lib. 3. c. 4. num. 5.*

CAPUT VIII.

De auctoribus, & argumentis quibus superior barbarismi Indorum titulus insufficiens videtur, & qualiter Aristotel. & alii, qui contrarium tenent, accipi debeant.

SUMMARIUM.

1 *Barbaries, & feritas Indorum absolutè consideratæ non præbet justum, & sufficientem titulum ad eos debellandos, & spoliandos.*
2 *Auctores plures adducuntur, qui negant, infidelibus ob solam barbariem bellum inferri posse.*
3 *Dominii est capax solum naturalis, & intellectualis creatura.*
4 *Homines licèt alicubi multùm barbari, sylvestres, & corpor deformes reperiantur, si tamen habent aliquem intellectum, inter creaturas rationales computari debent*, & num. 6.
5 *Monstrua omnia hominum rationalium reformatis corporibus resurrectura sunt.*
6 *Quamcumque formam habuerint, resurrecturos*, sentit D. Isidorus.
7 *Hominum monstrosorum variæ species connumerantur.*
8 *Homines quantumvis sylvestres, & monstrosi, si lumen aliquod rationis habent, doceri, & excoli possunt.*
9 *Barbaris, cùm veri homines sint, jus gentium servari debet, & dominiorum distinctio eo introducta.*
10 *Deus fecit nos, non ipsi nos.*
11 *Homini imputari non debet, qua forma, regione, vel docilitate nascatur.*
12 *Homines ex natura soli, vel cœli, sub quo nascuntur, animi & corporis temperiem ut plurimùm sumunt.*
13 Lex quod si nolit, §. qui mancipia, ff. de ædil. edict. illustratur.
14 *Nationem cœlo, & solo fœlicem sortiri gloriosum est.*
15 *Indis si ob barbaram, & sylvestrem vitam bellum inferre liceret, idem licuisse dicendum esset in aliis plurimis nationibus, quæ olim non minus barbaræ fuerunt.*
16 *Homines initio mundi sylvestrem vitam egisse, & sermonis usum non habuisse, quidam falsè affirmarunt.*
17 *Adam fuit sapientissimus, & eloquentissimus.*
18 *Cain Adæ filius materialem civitatem ædificavit.*
19 *Humanum genus ubi augeri cœpit, & in varias regiones dividi, multi homines sylvestrem, & erraticam vitam egerunt.*
20 *Homines quo pacto ad urbes, & sociabilem ac politicum vivendi modum reduci cœperint*, cùm Cicerone, & aliis.
21 *Lucretii carmina referuntur de statu, & conditione hominum antiquorum tractantia.*
22 *Nationes plurimæ barbaræ etiam hodie reperiuntur, quarum comparatione pauci sunt, quæ politice vivunt.*
23 *Barbari nominis communem definitionem non inepte notat Joan. Boter.*
24 *Nationes aliæ aliis semper barbaræ visæ sunt.*
25 *Anacharsis apophthegma.*
26 *Græci, omnes nationes* Barbaras, & Barbariam *appellabant.*
27 *Latini* Barbari, & *Italia* Barbaria *dicitur à Plauto.*
28 *Germani, & aliæ quam plures nationes Septentrionales olim non minus feræ, & barbaræ, quàm Indi Occidentales fuisse perhibentur.*
29 *Saxonum & Hungarum prisca feritas, & barbaries.*
30 *Scytharum quanta fuerit olim ruditas, & barbaries.*
31 *Scythas cur Horatius profugos & campestres appellet.*
32 *Batavi, qui hodie* Hollandi *dicuntur, olim nimis tru-*